



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídq̄ue is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637054

Discursus XXIII. De Sacramento Extremæ Unctionis. Ad explicandum
extremæ Unctionis virtutem, quasi in campum ab una parte terribilissimi
insultus, qui contra moribundum, doloribus suis à morte, à ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51667)

texere: oportet, ut tenax & robustum malum vestrum est, ita & usum hujus remedii constantem esse, ut vires illius enerver. Manè, vesperi, interdiu idem à Deo flagitate triumphatricem illam gratiam, quæ sine nulla unquam sequetur morum emendatio, & quod consequens est, sine qua ætatum est de salute. *Oportet semper errare, & non deficere.* Hoc modo, qui vitæ suæ rationes constanter composuerit, ne dubitet, quin sanandus sit, & si cor ejus vel saxum duritie æqua-

ret, ne tum quidem ambigat; *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filium Abrahæ.* Deus potentissimus non solum vincet durum illud saxum, & statuat ex illo pulcherrimam faciem, sed illi quoque inspirabit spiritum suum divinum, & filium suum dilectum efformabit, hæredem Cæli; qualem ego quemlibet opto: optare autem haud sanè possem, si verbis meis non absterrem ab illa via, quæ sic à Deo abducit, ut simul ducat in exitium sempiternum.

DISCURSUS XXIII.

De Extremæ Unctionis Sacramento.

Tauri, sic & amicitias præstantia ac pretiū nescitur, si ad lapidem suum Lydium probata non fuerit. Omnium autem sapientium judicio Lydius amicitia lapis sunt adversa, quæ cum ingruunt nec tamen amicus amicū deserit, tum enim verò illius fides tanta est, ut satis æstimari non possit. *Amico fideli nulla est comparatio.* Atq; hinc rectissime arguemus, quisquis quævis fidelis amicus sit amabilissimus noster Servator, qui fide optimâ pollicetur, se omnia inter adversa, inter ærumnas quaslibet, & fortunam quantumcunque sinistram, non discessurum à nobis, sed ad futurū auxilio opportuno, & omni nobis necessario ac utili favore. *Adjutor in op-*

portunitatibus. Non est autem tempus, non est hora, quæ magis aliena ope nobis opus sit, quam illud momentum quo hinc migrandum est. *Cum 77. me defecerit virtus mea, ne derelinquas me; supplex & anxius rogabat Rex ille sanctissimus.* Et verò, Auditores, sperare vos optimè jubeo: non deseret vos, non deseret momento illo periculosissimo Deus. Significo enim vobis, quod pro illo ipso momento Amicorum omnium fidelissimus Sacramentum in Ecclesia sua reliquerit, cujus, pretiosissimo Dei sanguine parati, virtute in nos transfundatur vigor admirabilis, quo toti velut reviviscamus. Verissima esse, quæ assero, duo affirmabunt, de quibus jam nunc agam. Oppugnatio inquam illa multiplex, quæ sub mortis momen-

Ecol. 18.

15.

Pf. 9.

10.

rum petemur; & auxilium, quod illi vincendæ in Unctionis extremæ Sacramento, cujus natura hac occasione explicabitur, nobis à Deo paratum est.

I.

II. Triplex hostium genus est, qui velut arctissimo fœdere inter se nexi miseram nostram animam jamjam abituram aggredientur, & ferocius quidem atque obstinatius, quàm unquam in reliqua vita simus experti: Mors cum magno dolorum agmine; Conscientia cum exprobrationibus, & Daemon cum omni sua arte ac suggestionibus. Hostium istorum vel singuli valde tum metuendi essent: facile proin est judicare, quàm formidabiles futuri sint omnes inter se conjuncti.

III. Prima igitur eâ in oppugnatione Mors est, quæ antequam ipsa superveniat, turmas velut levioris armaturæ præmittit, febres, dolores, animi defectiones & aberrationes. Harum ministerio exteriora quodammodo arcis munimenta occupat, dumque corpus in lectum abjicit, animum non in angustias tantùm, sed in agonem difficillimum conjicit. Arduum sanè, arduum tunc est, rectè & ex ratione agere! quantâ tunc ope indigemus, ut ea præstemus, quæ verum Christianum decet, cum vix illa possumus, quæ hominis sunt! Equidem ne ad illa quidem, quæ magis cum brutis cõmunia sunt, ægro virium satis est, ad dormiendum inquam, comedendum, corpus movendum: quomodo igitur abundè erit

illi roboris ac spirituum necessario- rum ad illas operationes, quæ omni- um ut sublimissimæ, ita & difficillimæ sunt? Ferme tum ita debilitatum, ita exhaustum corpus est, ut ægerri- me ad aliud intendere animus possit, quàm ad eos, quos patitur, dolores. Ille Sunamitidis filius, jamjam expiraturus, non aliud loqui; non cogitare poterat, quàm acerbissimos, quos sentiebat, capitis dolores. *Caput meum doleo, caput meum doleo.* Nec alia multo- rum ægrorum conditio est, qui, quid- quid superest spiritûs, totum dant cogitando & loquendo de malis, quæ sentiunt, de sui, de omnium rerum nausæ; atque hoc rerum statu mi- grat anima. *Caput meum doleo, caput meum doleo, & mortuus est.* O quàm igitur formidanda est prima hæc ag- gressio, quanta necessitas auxilii, quâ illam fortiter sustineamus! *Circumde- derunt me dolores mortis* (ajebat Da- vid) *pericula inferni invenerunt me.* Dolores mortis circumdederunt, & quid effecerunt? Ita concusserunt, ita malè habuerunt corpus meum, ut animæ perdendæ sit periculum: om- nino; *Pericula inferni invenerunt me.* Malè enim metuo, ne hostis, occupa- tis jam munimentis his externis arcem ipsam cordis invadat, eamque omni- jam destitutam præsidio suam in po- testatem redigat. Non procul igitur mortis dolores à periculis Inferni adsunt: tum enim, exhaustis adeo vi- ribus, difficile est audire, difficile con- fiteri, difficile ferè dolere, difficile providere, difficile oppugnantis ma- gnis animis se opponere. *Non salu-*

taria verba loqui (S. Basilij verba sunt) *non audire commode poteris, non libere confiteri, non cum adversariis de- sertare.* Et verò cum vel sola mortis memoria compluribus tam amara sit, qualis, quæso, mors ipsa præsens erit? Amaræ sunt & falsæ undæ, quæ maris superficiem occupant; sed illæ, quæ in fundo, multò sanè amariores. Sic & mors, amara est, cum sola etiam cogitatione, velut in superficie, libatur: in fundo, hoc est non procul remotam, sed proximam, jamjamque absorbendam, qualem esse arbitramur?

IV. Jam enim verò mirum dictu est, quàm opportunè ad primum hunc imperum & irruptionem ferendam Servator nobis vires & robor subministrer, medio, quod dixi, Extremæ Unctionis Sacramento. Primò siquidem confertur nobis illo robor grande ad levius ferendos morbi dolores & cruciatus, leniendamque mortis amaritiam: in cujus rei signum visum est Deo Sacramenti hujus materiam eligere Oleum, cui proprium est, vires languentium membrorum restaurare (quæ ipsa causâ tam frequens illius usus olim inter pugiles erat) dolores aut auferre, aut mitigare: ut idcirco tam variis modis in vulnerum curâ adhibeatur. Atque hoc Ecclesia petit, cum Oleum hunc in finem consecrat: petit enim ut sit efficax omnibus utentibus; *ad evacuandos omnes dolores, & omnes infirmitates.* Quæ postrema verba alium sacræ hujus Unctionis fructum indicant, sanitatem videlicet corporis,

si hæc animæ salutis conducatur. Si inquam conducatur: neque enim existimandum est, factio huic Oleo ineffabilem naturalem sanandi morbos quolibet: cum aliud re ipsa non sit, quàm purus ex olivis expressus liquor: sed quam vim habet, à Deo habet, atque ad eò rationi consentaneam. Non vult autem ratio, ut qui aliquid facit, id assequatur, quod secundo loco per hoc opus intenditur, cum damno & jacturâ finis primarij. Non semper igitur sanctissimi hujus Olei usu sanitas corporis reparatur, sed tum solùm reparatur, cum ita animæ salutis expedit, & dum modo parte aliâ æger ipse obicem nullû ponat fidei, fiduciæ, aut alterius ad Sacramenti fructum percipiendum requisiti defectu. Ita non Angelicus duntaxat, sed certissimo oraculo Tridentinum ipsum Concilium affirmavit, institutam extremam Unctionem, non tantum ut æger morbi incommoda *levius ferat*, sed etiam *sanitatem corporis interdum, ubi salutis anime expedierit, consequatur.*

V. Hinc discere licet, quantam *bi ipsis, atque etiam huic saluberrimo Sacramento injuriam illi ægri faciant, qui ægre adducuntur, ut illo uti velint, inani persuasione delusi, extremum inunctis dein certò moriendum. Proh Insciriam, in populo Christiano minime ferendam!* Et tamen hac in re liberis etiam Parentes consentiunt, qui nescio quomodo extremo hoc in discrimine, è Parentibus in hostes mutati, nolunt, ut antè sacræ Unctionis fructum mentio, quàm anima jam extremis in labris hæreat. Cur istud, per Deum?

S. Th.
suppl.
q. 29.
ar. 4.

ad evacuandos omnes dolores, & omnes infirmitates. Quæ postrema verba alium sacræ hujus Unctionis fructum indicant, sanitatem videlicet corporis,

Si Unctio ista repellit potius & arceat, quam advocat mortem? An non vident isti, quantum etiam corporis sanitati obfint, qui ad ultimum usque momentum saluberrimam hanc Unctionem differunt, ad quam satis est, mortem prudenter timeri posse, non autem necesse est, periculum esse proximum, aut amplius non vitabile? Rem eò adducunt, ut manifesto planè miraculo opus sit ad restituendam sanitatem. Nec tamen eum in finem Sacramentum istud à Deo paratum est; paratum est reddendæ sanitati, etsi non unice aut præcipue, sed tum, eum mortem prohibere beneficium quidem ac gratia singularis est, sed non magnum atque evidens prodigium. Quamquam autem hæc procrastinatio & noxia & stulta est, multò tamen est deterius, quòd illi ipsi familiares ac domestici, qui procul ædibus & ægri lecto arceant Sacerdotem extremum inuncturum, aniculam tamen aliquam vocare non horreant, quæ nescio quibus superstitiosis ritibus sic valetudinem corpori reddere conetur, ut animam certò occidat. Sed hæc Christi cultores ducit modica fides, & tenuis admodum rerum divinarum noticia, quæ instituti sunt; haud aliter, ac si crepera lux iminentem proximè noctem progrenderet.

VI. Certos interim esse vos volo, Dilectissimi, Sacramentum hoc Unctionis, mira quædam non in Anima duntaxat, verum etiam in corpore efficere, & quidem sive hanc caducam, sive immortalem alteram vitam attendamus. In hac etenim, ut dicebam,

sanitatem nonnunquam reddit; semper autem tam ad morbi incommoda quam mortem ipsam lenius ac fortius ferendam vires tribuit. Ad immortalem verò vitam plurimum confert, dum corpus nostrum consecrando, præparat illud ad beatitudinem æternam mansuram, quam redivivum unà cum Anima possidebit. Quamquam autem & alia duo, Baptismi ac Confirmationis Sacramenta, corpus nostrum quodammodo sacrant, dum illud unguunt; non tamen consecratio illa tam late pertinet, quam hæc Unctionis extremæ; cum in illis una duntaxat frons, in hac verò plura membra, & præcipua planè sentationum organa omnia inungantur, in quibus facultates illæ tres, quas Cognoscitivam, Appetitivam & Motivam appellant, sedem suam habent. Ungitur ergo facultas, quæ cognoscendo faciem præfert ad actiones omnes, dum quinque illi unguuntur sensus per quos, ut januas, cogitationes planè omnes mentem subeunt: appetitiva, quæ actiones illas imperat, ungitur in lumbis, in quibus sedem ejus Docti collocant: Motiva autem facultas, quæ imperatas exequitur, tam potissimum ungitur, cum pedes, mortis instrumentum præcipuum, sacro illo Oleo illinuntur. Quamquam satis est sola quinque illorum sensuum organa illini, ut Sacramenti hujus fructus percipiantur: hi siquidem sunt illi, ex quibus tanquam radice pullulat, quidquid contra rationis imperium ductumque admittimus: constat autem, etsi medici non semper il-

S.T. ho.
suppl. q.
32. ar.
6.

lud ungant membrum, in quo vim suam morbus exerit, illud tamen semper illini, in quo mali radix hærere creditur. Atque ita apparet, quomodo, cum Sacramentum hoc Unctionis ministratur, totum quodammodo corpus consecratur, fiatque idoneum animæ per omne deinceps ævum beatæ domicilium. Et si proin eundem ad finem alia etiam Sacramenta aliquid conferant, non tamen ita propè, ut Ex-

S. Tho. 3. p. q. 65. ar. 1. ad 4. *Extrema Unctio, Corpus ad Gloriam præ-*

parant. In Extrema Unctione (quæ est doctrina S. Thomæ) preparatur homo, ut recipiat immediate gloriam :

qui idem S. Doctor adverteit, veteri in Lege adumbratam quidem fuisse sacramentum hanc Unctionem, in quantum saninitatem restaurat, qui est fructus ejus minùs præstans, nec primò intentus (nam & illa in Lege multa fiebant à Sacerdotibus, quibus similem potestatem sibi factam ostendebant) non tamen fuit adumbrata, ut efficit fructum suum principem ac nobilissimum, qui est, absque medio aptum reddere hominem, in corpore perinde, ac animâ, ad fruendum æternâ Gloriâ; neque enim ad hanc in Lege illa quisquam pertinge-

S. Tho. suppl. q. 19. ar. 1. ad 2. *Non erat tempus adhuc perven-*

endi ad Gloriam. Negari proinde non potest, quin providentissimus Deus adversus mortem, & omnes, quæ hanc anteire solent, malorum phalanges, de opportuno nobis auxilio præsidioque prospexerit. Adjutor in opportunitatibus.

II.

VII. Progrediamur nunc ad aggressivam alteram, non minùs for-

midandam, qua animam oppugnat Conscientia, & quidem modis pluribus; exprobrando, arguendo, cruciando. Et principio quidem exprobrat præterita. Mercatori alicui, post mille curas, labores, angoreque miserimum naufragiû passio, si cogitabundus, futurique sollicitus adstet in litore, acerbius accidere nihil potest, quam si quis velut insultans ex eo quærat, Ubi jam merces, ubi tot laborum fructus & lucra sunt? At hoc ipsum ex jamjam morituro quærit Conscientia: *Quem fructum habuisti in illis, in quibus nunc erubescis?* Vixisti, inquit, dies lætos; nullas non sensibus illecebras, nullas non delicias indulxisti: nonne? vice portionem maximam ac nobilissimam dedisti negotiis vitæ caducæ, lucris & comodis perituris: quo tuo bono, quo pretio nunc emeris, si venilia ulpiani essent, opera ex virtute acta? quantum auri argenti que appenderes nunc pro horula temporis unica, cujus annos & lustra, tanquam rem nullius momenti ac pretii, solebas prodigere? *Quem fructum habuisti?* Tantoque acerbiora erunt animo hæc convicia, quòd verbum non occurrat, quod reponat. *Non habebunt in die agnitionis allocutionem.* Spiritus Sanctus hoc loco diem mortis diem agnitionis appellat: nunc siquidem, Auditores, dies ignorantie sunt: nescimus verè, quid peccatum, nescimus, quid Dei judicium, quid sit æternum pereundi discrimen: plena nocte sunt omnia. At ubi hinc migrandum est, tum rarescunt tenebræ, & veritates, quæ

velut densâ in nocte latebant, paulatim ad affulgentem tantisper alterius vitæ lucem videri incipiunt: sicque eadem nostra, quæ Talparum fors est, quas ajunt, tum demum, quos clausos suis in cavernis oculos habuerant, aperire, cùm eorum portò, fugiente animâ, usus esse nullus potest. Gemino & nos oculo instructi sumus, Rationis naturalis uno, Fidei altero: utrumque haud sanè pauci, in sua lucra & caduca commoda defossi, aperiunt nunquam, nisi cùm jam hinc abeundum est: tunc eos Conscientia vel in vitis recludit, & acerbè exprobrat delicias, quibus indulserunt, & delicta, quæ earundem gratiâ admiserunt.

VIII. Nemo in animum inducat, eos è Christianorum numero, qui nunc suarum aspectu culpæ penitus non terrentur, ve illo quidem fatali tempore terrendos. Expavescent enim verò, expavescent. Exercitus, cujus milites palantes per agros oberrant, terroris nihil incutit: at si tributos in ordines, & in aciem explicatus, vincere prius, quàm pugnare incipit; tantum vel aspectanti timoris exprimit. Talem aciem & Conscientia momento illo ante oculos statuet. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Tum enim facultati imaginatrici rotum peccatorum planè omnium exercitum, in ordines tributum, & velut lustrandum; objiciet. An non Anima solum hunc ad intuitum, nullis dum accusationibus auditus, penitus hærebit attonita?

IX. Nec accusat nos tunc solummodo Conscientia, damnat etiam: certè Judicem illum supremum, meritâ in nos indignatione concitatum, jamjamque ad sententiam ferendam accinctum proponit. Sapienter profecto sanctissimus Rex David peccata sua Torrentes, quàm Fluvios appellare maluit: *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Fluvii siquidem non æstate minùs, quàm hyeme, quâ ceteroquin calidioribus in Regionibus pluviarum vis ingens decidit, aquis abundant: at Torrentes non rarè æstate siccis pedibus calcantur innoxii: licèt hyeme tot undas vehant, ut earum impetu naviculæ, pontes, & ipsi iter agentes sæpe abripiantur. *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Cùm integra nobis constat valetudo, æstatem vivimus. Quid tunc incommodi affert, uno se peccato sedâsse? eluimus illud Paschali lavacro. Complura centena admisisse quid damni affert? exposuimus illa Sacerdoti, salva res est. En Torrentem siccum & aridum! vado illum transmittere labor erit nullus. Sed alia aliâs rerum facies erit. Hibernum tempus, S. Ambrosio assentiente, ultimi tibi tempus est; quo Torrentes isti tantam aquarum molem, tanto strepitu & impetu rapiunt, ut de transmittendis illis sine pernicie vel Gygantes desperent. Aliæ tum cogitationes animum pulsant, aliæ audiuntur voces. An aliqua mihi obtinendæ à Deo veniæ spes? Omnèsne noxas fide integrâ Sacerdoti aperui? Animæ latebras, quâ

quã par erat diligentia, semper excusis; Dolor, cetera, quæ præcedunt sententiam, an talia semper fuere, qualia oportebat, quid me, heu quid paulò post fiet? S. Indiarum Apostolus Franciscus Xaverius in Epistolarum suarum unã testatur, eos demum, cum ad extrema venit, ægerimè excitari ad fiduciam de divina Bonitate concipiendam, qui ejusdem præfidentia sani amplius peccare assueverant. Nunc peccatorum fœditas, gravitas, numerus non attenduntur, non curantur. Tunc autem mutatã scenã, rerumque facie, judicia etiam & sensa nostra mutantur.

X. Heu, quæ proin esset nostra calamitas, nisi adversus hoc quoque discrimen Servator nos noster obarmasset! Pierius scripsit, Oleum in furentis Oceani undas effusum tempestates sedare. Fides hujus rei sit penes Authorem: at de Extremæ Unctionis Oleo hoc citra controversiam verum est: hoc siquidem quamlibet horribiles tempestates mitigat, & operatam tandem animo affert tranquillitatem. Cum enim omnis metus ac terror, cum omnis planè tempestas à peccato sit; hoc autem Sacramentum plurimum adversus peccatum possit, consequens est, ut compescere ventos omnes ac turbines possit, à quibus tempestas mora est. Triplici ratione, si rectè sensit Angelicus, peccatum beata hæc Unctio delet: primò, abolendo maculam ipsam culpæ; secundò, poenæ subeundæ reatum diminuendo; tandem ipsas etiam plantæ hujus venenatæ vibras

evellendo, penitusque ab ima radice extirpando.

XI. Primò igitur hæc Unctio cul. 3. Th. pæ reatum delet in suscipiente, ut illa *Suppl. Jacobi* Apostoli verba docent: *Et si 30. in peccatis sit, remittentur ei.* Hujusmodi enim Sacramenti beneficio Gratia Sanctificans infunditur, quæ peccatum perimit; redditurque animæ venustas, quæ Dei sponsam deceat. Quare si æger lethalis noxæ vinculo teneretur, quæ etiam cogitanti in mentem non venisset, Sacramenti hujus virtute deleretur; si modò æger, antequam ritè inongeretur, omnia à se admissas noxas imperfecto solum doloris genere esset deestitutus. Neque verò rarum est, unum aliquod, aut plura delicta occulta delitescere, & quamvis animam gravent, atque commaculent, fugere tamen conscientiam, in ea potissimum, cui morituri obnoxii sunt, perturbatione, aut non suo vultu apparere, sed ut levia ostendi, quæ re ipsa gravia sint: accedunt densæ illæ nebulæ, quas animo peccatum offendit, quæ que tam divinæ lucis, quàm propriarum tenebrarum conspectum prohibent: quã de re ita acutè S. Augustinus: *Sicut tenebræ oculos, ita delicta mentem claudunt, nec sinit lucem videre, nec se. Interim superna Hierusalem, ita munda est, ut in illam macula & labes, quantumvis minima, ingredi non sinatur: quantumvis magis inde fœdæ labes & ulcera exulabunt? Non intrabit in Apoc. 21. eam aliquid coinquinatum.* Evenit autem sanè quàm crebrò, ut æger omni jam sentiendi facultate destitutus,

Hierog.
l. 53.

S. Th.
3. p. 9.
65. a. 1.

cæcus, surdus, mutus alio, quàm Extremæ hujus Unctionis præsidio, juvari non possit: tum equidem illa, gravium etiam, quæ remanserant, delictorum maculas abstergit; quin & levium, quæ quidem æger aut tum, aut antea, vero dolore fuerit detestatus. Atque ita Sacramentum istud animam mundando, plenè perfectèque ad Gloriam; Deique conspectum idoneam, ut superius innuebam, efficit, & velut coronidem reliquis ad ad eam diem perceptis Sacramentis imponit eadèque, si dicere fas est, perficit. Ter Davidem Regem solelem inunctum legimus. Primum in ædibus paternis: atque hæc unctio, illius erat Symbolum, quâ nova in Lege sacro fonte abluti illimuntur, & tanquam filii Dei, hæredes Regni constituuntur. Dein in Hebron, cum solam Domum Juda gubernandam suscepit: quam unctionem multæ lites ac pugnae secutæ sunt, quibus Regnum ab aliorum vi aut insidiis vindicavit, sibi que victor asseruit: hæc unctio adumbrabat illam, qua in Confirmatione unguimur: cum vires ac robur subministrat ad vexationes infestationesque tam Fidei, quàm morum causâ fortiter superandas. Tertiò iterum unctus est in Hebron, cum præter Judæ posteros ceteræ quoque totius populi Israëliti Tribus Regem eum veneratæ sunt, nullis jam insidiis, nullâ vi oppugnandum. Hoc symbolo Unctio Extrema referebatur, quam pax ac tranquillitas excipit, quâ anima æternùm in cælo regnat.

R. P. Segneri S. J. Christ. Instr. Tomo. III.

XII. Eadem Gratiæ sanctitas alterum quoque beatæ æternitatis obicem, reatum inquam penæ, amover; dum vel partem ejus abolet, aut totum, siquidem æger Sacramento hoc munitus suam divinæ sic adapter voluntatè, ut penitens penitensque illi respondeat.

XIII. Denique & reliquias peccati quascunque extinguit, dum imbecillæ ac miseræ menti vires suppeditat; et si non penitens eradiceat pravas illas propensiones, quas repe. ita toties delicta post se reliquerunt.

XIV. Verè igitur Sacramenti hujus ope ponunt Tempestates ac procellæ, quas Conscientia ciet, ipsùmque, Solis instar benefici, radiis suis dissipat retros vapores, quos tot peccatorum memoria exhalârat, sursumque deorsum verterat in mente omnia. Hactenus dicta Tridentini Patres paucis complexi sunt. *Res etenim, in Sess. 14. quiunt, hæc gratia est Spiritus Sancti: de Extr. enjus Unctio delicta, si qua sint adhuc Unct. e. expianda, ac peccati reliquias abstergit; & egroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divina miserisordia fiduciam excitando.*

III.

XV. Tertia superest consideranda oppugnatio, quâ extremo illo tempore animum hominis Dæmon aggreditur, vehementissimè eum tentando, & ad defectionem à Deo sollicitando; & qualis nobis hanc ad pugnam parata sint Extremâ in Unctione præsidia. Quamquam autem oppugnatio hæc externa est, utpote quâ nos oppugnat hostis non domesticus, multis tamen illa nominibus plurimùm for-

U u

mi-

midanda est: & primò quidem ob iram jurati hujus & acerbissimi nostri inimici. Ita Philosopho teste, *3. Erb.*
8. vires valde auget, & robustos ac validos reddit, qui re vera tales non sunt, dum cordibus quamlibet formidolosis ignem ministrat, & quidquid ad manum est, furoris sui facit instrumentum. Hæc autem furoris plenâ contra nos irâ Dæmon nunquam non ardet, tanquam contra imagines Dei, in quem incredibili ipse odio fertur. Crescit illa nihilominus mirum quantum, & exardescit præquam aliâ sub tempus, quod solum illi ad nocendum nobis superest: *Apoç.*
12. 12. *Descendit ad vos Diabolus habens iram magnam, sciens quod modicum tempus superest.* Sunt hæc Divini Spiritus verba, quibus nos hortatur, ut semper quidem Leonem hunc furentem, Sathanam, fugiamus, aut nos adversus ejus vim obarmemus, nunquam tamen majore studio & vigilantia, quàm sub extremas mortalis nostræ vitæ horas: has enim cum solas superesse noverit, quibus perniciem nostram moliri possit, quidquid livor & rabies potest, id omne tunc exerit: *Sciens, quod modicum tempus habet.* Cum militibus victoribus una solum dies conceditur ad prædas ex capta urbe agendas; ô miseros cives! Quid enim tam barbarum, tam immane, tam crudele est, quod miles non audeat, cum sæva avaritia prospicit, non fore tempus aliâs rapiendi, quod tunc non rapuerit? Non aliter res nostra se habet: prospicit enim Infernus, se, si moribundam animam tum non rapiat, sine spe aliâs sibi per omne

deinceps ævum ipsam vindicandi, uogues ipsius ac retia evasuram. Quare qui modò non experitur vim istam tantam, oppugnationemque Dæmonum non sibi persuadeat, ne extremo quidem illo tempore experturum, Qui urbem obequitat, hipperâ quibuscunque mercibus refertissimâ, ut vix equus ferendo sit, Exactores & v&ig;ig;alium redemptores molestos non experitur, & ne assem quidem pendere cogitur: at ubi portas exitus propius accesserit, tum enim verò procedunt vexatores illi importuni, oculis, manibus explorant omnia, sarcinas excutunt, & in eo tori sunt, ut si qua admissa fraus est, eam detegant. Ita & vos obambuletis fortassis nunc vasti hujus Mundi plateas, viasque, nec sentitis molestissimas illas angustias, & irrequietas ad defectionem à Dei legibus suggestiones; quia nondum propinqui estis portæ, quâ hinc exundum est in vitam & Mundum æternum. Sed expectate horem illum, quâ abiturum paratis, & experiamini, an tum stygii isti exactores aliquam quietis partem capturi sint? an non intima & arcanissima animi vestri surfam deorsum, & omnem in partem versari, ut deprehendant, an quidquam mercium vitæ hinc auferre paretis? Dicent effrontes. Hoc delictum in Pœnitentiæ tribunali aperuisti nunquam: istud narasti quidem, sed specie peccati non explicasti: illâ tibi in Confessione dolor requisitus defuit: aliâs emendationis propositum desideratum est: illud aliud peccatum fâstus es; sed occasionem illius de-

denuo admittendi proximam vitare non decreveras : emendationem promissisti ; sed mox reversus es ad vomitum. An non experientia docet, Dæmones tam molestos esse ac importunos, ut ne illos quidem hinc abire quiescos sinant, qui nullas gerunt sarcinas? Quid illis ergo futurum existimemus, qui gerunt graves? Cùm ex Stygio ejusmodi hospite aliquando quæretur : an ulla tam exaggerata, tam sublimis sit cujusquam animæ sanctimonia, ut spem illius seducendæ omnem Orcus amittat? Respondit linguâ hominis : quem infederat ; nullam esse : sed ipsos ad ultimum usque momentum ab ejus latere non discredere, eâ nixos fiducia, quod, si non aliâ, superbia saltem tentatione impetere eam possint, & vel ipso reâ factorum pondere mergere, atque in exitum præcipitare. Hinc arguat quisque, quid non pro eo sibi vindicando hostes isti capitalissimi acturi sint, qui multis aliquando viris implicatus vixit?

XVI. Crescit etiam eo ex capite justus horum inimicorum timor, quod non unus tantum aliquis miserorum illorum spirituum moribundum oppugnaturus sit, sed quod cohortes & legiones integræ ad id ex Orco emerant. Populi ad orientem solem sitis, cùm bella gerunt, militum numero prævalent : qui ad Septentrionem, vultorum corporum mole ; qui mediis terras incolunt, ingenio & versutis præstant. An non igitur ille Exercitus præ aliis omnibus esset formidandus, qui constaret milibus numero plurimis, corporum robore validissimis, ingenio & versutia præstan-

tissimis? Talis autem est exercitus : quem ad oppugnandum quemcunque moribundum Lucifer Orco educit, & circa ejus lectum, velut ad obliendum, collocat. Narravit nonnemo in literis ad S. Augustinum exaratis, audisse se ex ore hominis, qui meritis S. Hieronymi revixerat, hæc verba : cùm parum jam à vitæ termino abessem, tantus Stygiorum spirituum numerus in eo, quo jacebam, cubili spectandum se obtulit, ut præ *in ep. 8. Cyr.* multitudinem omnino dinumerari non *Hier.* possent. Addidit præterea, quemlibet *ad S. August.* eorum fuisse formam sanè quam horribili, eosque certatim laborasse, ut in desperationem primò, mox in Infernum infelicem præcipitarent, Quid sentitis, AA. de multitudine hac magna? Nonne si vel muscarum esset, & medus, & molestiæ creare fatis posset? Quid erit ergo tantus numerus Dæmonum furentium & vinculis exemptorum. Etiam locustarum numerosa acies tantam non semel agris vastitatem intulit, quantum ne militum quidem rabies inferre potuisset.

XVII. Addamus numero robur, quo Dæmones pollent, partim naturæ suæ, quæ nostram tanto intervallo superat, beneficio ; partim audaciâ, ex tot jam è nobis obtentis victoriis immentum auctâ. Scythæ, ferocissima & *Justin.* bello nata Gens, cùm audissent servos *l. 20.* suos seditiosos arma dominis movere velle, obviam iis egressi sunt, non ferro & telis, sed virgis manus armatis : quas cùm toties experti servi vidissent, conciderunt mox animis, & dominorum se arbitrio permiserunt. Simili adversus animas, quas tam diu suo mancipatas

obsequio habere, auctoritate Dæmones valent. Solum memoriam fuggerendo conditionem illam, & signa pendendæ servitutis, quam tanto tempore servierunt; solum excitando phantasma, quo repræsentetur res olim perperam & impensius amata, in præsens illam adducunt discrimen, ne victa manus det.

XVIII. Plus tamen, quam numerus, plus quam vires, merito quem terreat Dæmonum versutia. Hæc strages edit maximas: adversus hanc ergo de armis prospiciendum solertius. *induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.* Apostoli verba sunt. Festinate, festinate induite, quæ Deus providit, arma, ne inimici ejus, & vestri, insidiis delusi succumbatis. Quin potius Apostolus, juber assumi arma, quibus adversus vim, & fortitudinem hostis se tueantur? Plus enim arma contra vim, quam contra insidias valent. Non ita ille, sed *adversus insidias*, inquit, ut indicet, id quod maxime ab hoc hoste timendum, præcavendum que sit, non vim, sed insidias esse: nihil magis formidandum, quam subitium renrationum versutiam, cum quidquid habet & caller fraudum nequissimus hostis, extremis illis momentis congeminet, ut nos perdat; mordicus, si fors illi faveat, serpentis instat, calcaneum, extrema, inquam, vitæ momenta apprehendendo. *Tu insidiaberis calcaneo ejus.*

XIX. Negati igitur nequit, quin cunctis his ex capitibus valde metuendæ sint Dæmonum eorum articulo oppugnationes: & sicut Naucleri non

alios magis pavent fluctus, quam qui navim jamjam portum subituram arietant, haud aliter tartaræ illæ aggressiones, non alias justius timeant, quam cum jam navim ad litus appellerere cogitamus. Ne vobis terrefacientis hæc ego ultra verum augere videar, audite ipsamet sanctissimæ Tridentinæ Synodi verba. *Nullum tempus est, quo Adversarius noster vehementius perdat omnes sue versutia nervos intendat ad terrendos nos penitus, & a fiducia citius am, si, possit, divina misericordia deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ prospicit.* Quod si ita se habet, bonâ vestrà veniâ liceat mihi hinc arguere, quam illi salutem suam oderint, qui non ante suprema hæc momenta cogitant integrè perfectæque noxas suas confiteri, ablata suis dominis restituere, turpe commercium abrumpere, redire in gratiam cum iis, quos jam diu habent inimicos; qui, inquam, tunc armorum volunt abstergere rubiginem, cum illis contra hostem utendum est; nec antè rectè vivendi artem discere, quam cum porro vivere non licet. Sed omittamus nunc istos, ne longius à semita recedamus.

XX. Adversus oppugnationem tam formidandam providentissimus Deus Cælesti planè præsidio nos obarmavit. Ut enim vitæ hujus cursum auspiciatos confestim præparent Baptismi auxilio juvat ad mores Christi legitimi conformandos, ne malè Christiani dicamur; ita hinc migraturos simili Unctionis Extremæ adjutorio validos reddit, ad vitam rectè inchoatam non pejùs finiendam. *Deus extrema Un-*

Unctio Sacramento, extremum vita, tanquam fortissimo presidio muniri: ut Tridentinum loco pauld ante citato loquitur. Hâc de causâ Unctio ista Sacramentum spei appellatum est; & oleum, tanquam ejus materia, sapienter admodum electum: hujus enim liquoris proprium est, cum in extrema tantum corporis parte illitum est, ad intima usque penetrare; sic ut ad ipsas usque ossium medullas pervadat, ad vires vel restaurandas, vel conferendas: Intrauit sicut oleum in ossibus ejus. Robor igitur, quo per sacram Unctionem à Deo donamur, positum est maxime in certis quibusdam gratiæ suæ auxiliis & inspirationibus singulæ ratione servientibus ad finem, ob quem instituta est; atque adeo perquam accommodis ad contemnendos omnes furores, & eluendas omnes fraudes Scygiazum machinationum. Non est proinde, quod animo cadamus AA. ob aggressiones illas, quibus oppugnare nos Infernus potest; cum constet non minores esse vires hoc presidio nobis concessas ad vincendum, quam sit vis tanti licet exercitûs ad oppugnandum. Nolite timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. At qui sunt plures illi, qui pro nobis stant? Sunt, si ita res postulet, cohortes legionis: que beatorum illorum Spirituum, suavi quodammodo Unctionis odore attractorum; cum longè suavius hæc Cælo fragret, quam omnia nobis aromata nostra & unguenta. Neque lectissimis his cohortibus suis Duxor deerit: Certè S. Maria Ogniacensis Jacobo Cardinali de Vitriaco, animi sui arbitro, testata est

ipsumet se Christum spectasse magna Divorum Divarumque cohorte cinctum, præsentem, cum ager quispiam facio Oleo inongeretur ad luctam ultimam, addidisse illi animos, excitasse ad intimum de admisisis dolorem procūque ab eo suâ præsentia Dæmonum agmina habuisse. Si tot & tales pro nobis pugnant, cur de victoria dubitemus? Quin opto, ut in hujus rei argumentum, priusquam hinc pedem efferramus, tenerrimo animi sensu grates agamus Servatori nostro hac de victoria, tam non dubiè ejus ope & viribus obtinendâ. Deo autem gratias, qui dabit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. O victoriam fanè præclaram, si hæc Dei beneficio vincimus! Hanc siquidem excipit æterna pax nullo unquam deinceps turbanda bello; quæ sub ultima vitæ momenta inchoata, in beatissimo æternitatis regno sic erit nostra, ut quocunque obtutum vertere placuerit, aut quocunque pedem movere, non aliud occursum nobis sit, quam beata pax. Posuit finis tuos pacem. Et dignus non sit Servator amantissimus JESUS, ut ab hoc momento in agendas gratias, vel ob solam tantæ victoriæ spem nobis factam, effundamur?

XXI. Atque id maximè, quia ejus meritis obventura illa nobis est: per Dominum nostrum Jesum Christum. Et sic quod plus illa dignationis honorisque nobis confert, tanto illam magis decet nobis esse pretiosam. Contemblemur tantisper Servatoris nostri summam in nos Bonitatem, ac Benignitatem, & quam indigni sint Christiano-

rum, quod gerunt, nomine ingratiſſimi illi, qui tam non colliqueſcant amore, cum Chriſti nomen ad aures alabitur, ut etiam eo nominando levifſimâ quâque cauſâ & occasione bilem ſuam exonerent. Audiamus, quid quantumque beneficii in nos ſolo tantum Sacramentorum miniſterio Chriſtus diffundat, Vix natis balneum apparat, quo peccati lepram, nobiſcum *Plin. l. 26. c. 1.* natam, abſtergamus; multò utique antiquis Aegypti Regibus feliciores: nam etſi his, leprâ, iis in terris frequentiffimâ, infeſtris ampliffimum paratum eſſet humani cruoris balneum, ſubditis eorum funeſtam; nobis tamen Chriſtus, longè regio iſto nobilior lavacrum inſtruit, quo turpiſſimam illam, & nemini noſtrum vitabilem originarii *S. Tho.* peccati lepram ac maculas eluamus: *3. p. 9.* hoc liquidem non cujuſquam alterius *72. ar.* cæde aut vulneribus, ſed ipſius tantum *1.* Chriſti Dei Hominiſ puriſſimo ſanguine conſtat. Creſcimus ſubinde, & ex infantia tenebris emerſis rationis lux oboritur, cum Anima noſtræ robur majus idem Servator Confirmationis ope tribuit, & plus illi gratiæ confert, quàm in Baptiſmo contulerat. Verùm cum vel tot adjutos præſidiis non raro depravatae naturæ cupiditas novis plagis ac vulneribus poſſimè mulſer, his quoque perſanandis caeſte Sacramenti Poenitentiaè baſamum Chriſti amor ſubminiſtrat: quin ut creſcentibus & porrò victuris alimonia non deſit, non jam manna, angelicâ in nubibus coſtû induſtriâ, ſed ſe ipſum Angelorum Dominus in diviniſſimo Eucharistiæ Sacramento nobis in cibum

offerit. Tandem quia ultima ſub vitæ noſtræ momenta agendum nobis eſt negotium, ex quo plus pender, quàm explicare poſſimus, en prompti ad illud ritè, & noſtro bono gerendum, Extremæ Unctionis Sacramentum: hujus liquidem ope perficitur tandem Imago Chriſti Jeſu Filii Dei, qualem eſſe oportet quemlibet à Deo ad gloriam electum: quâ cauſâ Tridentina Synodus Sacramentum hoc dixit: *Conſummationem totius vita Chriſtiana.* An autem tot, tamque præclara amoris teneriffimi effecta digna non ſunt, quæ agnoſcantur profundiffimè, & pro quibus gratiæ quàm fieri poteſt maximæ rependantur? *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

XXII. Neque verò abſque labore hæc à Chriſto parata eſt victoria. *S. Aug. Temp. Ser. 14.* guſtini ſententia eſt, Chriſtum Servatorem, cum Jordanis aquis ingreſſus eſt, ut illis à Præcurſore ſanctiſſimo ablueretur, omnes omnino aquas conſecerâſſe, virtutemque iis contuliſſe, quæ hodie pollent, novam animabus hominum vitam tribuendi. Nifi fallor, affirmari etiam proportione quadam poteſt, Chriſtum tot noctes inſomnes in Oliveri monte ducendo, ſuisque arbores illas, olei feraces, lacrymis irrigando, maximè verò ſudore illo ſanguineo, què pridie acerbiffimæ mortis ſuæ illo in horto profudit, humectando, oleum quoque conſecerâſſe, quo poſtmodum extremum eramus inungendi, & contra ultims pericula idoneis præſidiis inſtruendi. Robur igitur illud, quo ad ferendos morbi acerbos

hos dolores & damna munimur, stetit
Christo, gravissimo tœdio, tristitia, &
argore, quæ illo in horto pertulit:
Tristis est anima mea usq; ad mortem.
Vires autem, de quibus nobis contra
peccatum prospectum est, & valezudo,
quæ omnes animi morbi sanantur,
tolerantiâ molesti nozarum nostra-
rum ponderis, Christi humeris impo-
siti, restituta nobis sunt; quod quidem
pondus tam grave fuit, ut humi Ser-
vatorem nostrum prosterneret. *Proci-
dit super terram, Animus denique &
fortitudo, quibus vel ipsi Orco extre-
mis illis momentis oppugnanti terri-
biles & invicti reddimur, extremâ
Christi imbecillitate & sudore sangui-
nis stetit. Factus est sudor ejus, sicut
gutta sanguinis decurrentis in terram.*
Prorumpamus igitur denuo in verba
illa: *Deo autem gratias, qui dedit no-
bis victoriam per Dominum nostrum
Jesum Christum.* Et quoniam dolorum,
quos in horto Christus exantlavit,
memini, quidni liceat mihi hinc vos
docere industriam perquam salutarè,
quæ ubi olim maximo vestro commo-
do Sacramentum istud adhibeatis?

XXIII. Cogitet proin quis, se mor-
bi vijam ad extrema deductum videre
Sacerdotem, qui ipsum ultimam ad
luctam inuncturus accesserit. Hunc
Dei Ministrum oportet admittere &
excipere illâ reverentiâ & demissione,
quæ Christus missum ab æterno Patre
ad se in horto confortandum, cæle-
stem Genium excepit. *Apparuit illi
Angelus de celo confortans eum.* Et
profecto Angeli instat Sacerdos ille ad-
ventat, cum pacem etiam primis mox

illis verbis preceatur: *Pax huic domui,*
ut nimirum Animam ægri dignum
reddat Deo domiciliû, qui ibi habitare
non vult, unde pax exulat: *Factus est in
pace locus ejus.* Tum imaginetur sibi Sa-
cerdotem sacro illo liquore inungen-
tem oculos; ipse autem, ut sacerdotali
huic unctioni respondeat, veniam à
Deo omnium nozarum petat, quas o-
culorum tam lubricorum ministerio
admisit. Medici centum & amplius
oculorum morbos numerant: nemo
tamen ambigat, quin plura sint, quæ
per oculos in animam nostram redun-
dant mala, morbi que; serio igitur quis-
que flagiret, omnium istorum sibi deli-
ctorum gratiam fieri. Ab oculis ad
aures illinendas Sacerdos tranfit. Hic
in memoriâ sibi quis revocet, quoties
has aures patulas habuerit ad Mundi
nugas & sermocinationes, clausas ve-
rò Deo loquenti, animi Arbitro incre-
panti, Curioni jubenti, majoribus sa-
lutaria monentibus: petitiâ que demis-
sè veniâ, sanitatem à Deo sibi restitui
roget. Mox nates sacro Oleo Sacer-
dos ungit: is autem, qui ungendus est,
supplex à Deo postulet gratiam, qua
fiat *odor vite in vitam*; si, dum exem-
pli aliis pravitate nocuit, ante hac po-
tius factus erat *odor mortis in mortem.* 2. *Coy. 2.*
Dum ad os ungendum acceditur, 16.
quantam dolendi materiam submini-
strant tot in cibo potuque sumendo,
tot cum aliis conversando perpetrata
peccata! Manum pedumque Unctio
revocet in memoriâ, quidquid his
instrumentis vel ambulando per vias
peccatorum difficiles, vel exequendo,
quæ malè decreta erant, admissum est.

exciteturque animus ad miserationem divinam implorandam. Tandem dum lumbos inungi quis cogitat, omnes decenterur fœdas libidines, quibus ut frueretur, tum ceterorum sensum infido ministerio & operâ, tum Tactûs maximè usus est, cujus maleficio dum à capite ferè ad calcem plagis se pessimè affectum agnoscit, omnium earum curationem à Deo efflictim exposcat. Qui ita Sacramento huic spiritualiter, ut dicimus, recipiendo assueverit, non dubitet, quin subinde Sacramentaliter illo quàm saluberrimè usus sit, cum fructus, hoc ex Mysterio percipiendus, non parùm ab ejusmodi, quas indicavi, precibus pendeat.

XXIV. Quod dixi, mirum videri nemini debet. Si enim ullius Sacramenti constitutum, quo perficiatur, quòdque abesse non possit, est oratio, hujus sanè maximè Sacramenti est. Non enim alio ullo in Sacramento verborum formula profertur velut à suppliciter perente; nam in ceteris tantùm, quid fiat, indicatur. Non dicit igitur Sacerdos inungens (quod scimus fieri ab absolvente confessum) absolvo te ab omnibus peccatis, quæ oculis, auribus, linguâ &c. admisisti: dicit, nec si velit Sacramentum perficere, dicere aliter potest, *Indulgeat tibi Domine*.
Suppl. g. nus. Quod quidem Christus ita fieri jussit, quia cum tunc æger eo statu sit, ut à foro humano transurus sit ad forum divinum, Ecclesia illum precibus his prosequitur, & divinæ sic eum miserationis Tribunali commendat, à quo uno jam sperare ille gratiam & clementiam possit. Sed illud hæc pre-

candi formulâ præcipiendâ spectatum est, ut sciremus, vim omnem Sacramenti hujus tribuendam orationi cum Unctione junctæ; quam quidem orationis cum Unctione concordiam Jacobus Apostolus verbis illis disertissimis indicavit. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, & Oratio fidei salvabit Infirmum.* Et quamquam omnia Sacramenta divinæ Miserationis opera sunt, advertere tamen est, in nullo mentionem illius disertè & explicitè verbis fieri, præterquam in isto, & crebrius quidem, toties nimirum, quoties aliud ægri membrum inungitur: Post hæc enim verba? *Per istam Unctionem, mox additur & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti &c.* Et quæ istud causâ, nisi ut discamus, moriturienti aliud non superesse, nisi ut miser in brachia misericordissimi Dei se projiciat? Atque istud est, ad quod & ego vos adhortor, ut assuescatis quotidie eo affectu ad hanc Dei miserationem confugere, quo cuperetis in ejus Sacramenti usu in Deum ferri; id enim semper rogantes, ne sacro hoc mysterio non munitos vos hinc migrare contingat.

XXV. S. Malachias Episcopus Hybernus, cum moræ aliquid traxisset ad nobilem feminam ungendam, eam subinde jam mortuam reperit. Intimè is eventus S. Præsuli doluit; nec quievit anî, quàm defunctæ vitam ad tantum saltem temporis impetraret, dum illam ritè inungeret; etsi nec ad ferendos morbi dolores, morte jam ab-

ruptos,

ruptos, nec ad conscientiaē sedandos tumultus, nec ad pugnam cum hostibus stygiis servitura porro feminæ Unctio esset. Satis erat viro Sanctissimo, prodesse illam posse tum ad peccati reliquias abolendas, tum ad gratiæ augmentum conferendum: hunc ad finem vitam mortuæ impetravit, hunc ad finem redivivam unxit, satis gnarus, quantum profaturæ illi essent pre-

ces, pro ea inter ungendum fusæ: *Et unxit eam nihilominus, sciens in hoc Sacramento remitti peccata; quod oratio in vit. fides salvet infirmum. Quancūm igitur S. Matheolus sollicitos vos esse convenit, ne hujus expertes Sacramenti alteram in vitam abeatis, cum non hæc tantum, sed multò plura, quæ à me in medium allata sunt, emolumenta ex eo in vos sint redundatura?*

DISCURSUS XXIV.

De Sacramento Ordinis.

IArum familiares illi sunt Evangelicæ Historiæ codices, qui nunquam in iis legitur; Ecclesiam, Christi in terris Regnum esse; in illis certè hoc nomine sæpissimè compellatur. Porro in Regno non satis est esse Populum, qui pateat & subsit; sed etiam Procures esse necesse est, qui aliis præfint & imperent; atque hos inter varios esse dignationis gradus, alium alio superiorem, quorum ex inæqualitate pulcherrima illa resulter harmonia in Republica, quæ qualisque in artificioso concentu Musico ex vocum diversitate resulcat. Non possunt proin in Ecclesiæ Regno, quod Legibus utiq; sapientissimis Hominem indura Dei Sapiencia temperavit, diversi isti gradus abesse: quidquid enim sapienter constitutum est, in eo ordo rerum nunquam desideratur. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.*

Ordo iste Ordinis maximè Sacramentorum. P. Segneri S. J. Christ. Instr. Tom. III.

to constituitur: hoc siquidem varios sibi Deus ministros eligit, eosq; ex Laicorum, quos dicimus, numero extractos, per minores primò, dein majores sacratiorésq; gradus provehit, dum deniq; ad majorem humanâ conditione Sacerdotum dignationem attollat. His deinde uritur tanquam canalibus, per quos divina sua in nos munera deriver: tanquã Matribus, per quas nos lactet; Magistris, per quos erudiat; Interpretibus, per quos voluntatem nobis suam, cum minus, certis in casibus, perspecta est, manifestet. Non equidem absq; timore de dignitate tam sublimi hodie differam, non cum illis quidem, qui ad illã jam evecti sunt; cum ab his potius me doceri par sit; sed cum iis, qui ad eandem aspirant, hæc deo non parvi utique emolumenti ostensurus: Sacerdotalis dignationis, ad quam anhelant, fastigium; & gradus, per quos ad illud eniti debet, quisquis temerè non vult eniti. Prius illud aggrediamur.

XX

I.